affectibus pridem Theoretice certior fui. Praxin in præsentiâ
eo arctius amplector, quod ad formam lucidissimæ materiæ
inuentum accesserit, quod valdè quidem scire cupiam,
an sectionibus Conicis, Parabolæ puta vel ellipsi, cæterisue
applicari possit. de Induciis nemo est, qui certi quidquam
statuere valeat. In præludiis versamur, quæ cujus culpâ
male protrahantur, coram disserere malim, quam sic
eminus indicare. De formâ discessûs tui et morâ securus
esto. excusat te profectionis caussa coram quouis Minoe
nedum a clementissimo Principe ægrè fieri metuas, quod
jubente sic tantum Deo fers non inuitus. Si quo tamen
patrocinio egere potest tam bona caussa, crede me unum
semper fore, qui has partes nemini delegatas velim, et
securus interim quod potes ac debes operæ meritissimæ
matri dato. Salutem illi omnes aut ~~cum~~ ~~in~~ in mortalibus
aut æternam, prout visum numini erit, integerrimo
affectu apprecamur. Ego te valere jubeo et me amare. Hagæ
Com: VI. Id: Mart: 1633.

Studiosissimus tui Collega et affinis
observantissimus.

Adto Molinæi et Balzaci aliquid
quod a Riueto editionis autore
hodiè mihi allatum fuit. Confido
acceptum fore, quantum mihi
Cylindrus est, materiâ minime
at formâ utcumque splendidissima.

Comiti a Lesno (175)

Baroni vestro, Illustrissime Domine, operam omnem dedi,
quam et imperanti tibi debere me existimaui, et Heinsio
commendanti, quo utroque acriorem stimulum fateor
adhiberi mihi non posse. Reliquum est a vobis moneatur,
ex parte jam curatus æger, ne quâ vulgo innotescat
acceptum a Principe beneficium. quod in exemplum sanè
trahi ab aliis non potest, ab ipso non debet. sin secus
apud se statuerit, rogandus mihi in posterum erit, alio
ut proxenetâ utatur. Tibi Domine Illustrissime obsequia
omnia defero, et ut amare me, quod cœpisti, pergas enixè
rogo. XI. Cal: Apr: CIƆIƆCXXXIII. Hagæ Com.

Illustr.ae domin: Tuæ
devotissimus.

J. Baptista

Ad incomparabilem amicum nostrum nunc non scribo
distractissimus ut soleo, imò ut non soleo. nouit enim ille
quam ullâ hactenus negotiorum mole diuerti me, a tam
suaui alloquio passus sim.

© Koninklijke Bibliotheek
KA 45, fol. 56v
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/772